

fit verum in ens quia quod prius nichil erat factum est ens. Hec tertium quia creatio est productio de nichilo ergo nullo modo prius erat. Item. Si lapis cui prius erat nichil nunc est aliquid. Tunc queritur vel per lapidem qui prius erat nichil intelligitur purum nichil aut esse aliquid. Si primum ergo purum nichil ponitur in esse. Si vero dicitur quod sit aliquid substratum nihilitati habeo propositum quia productio ista non est ex non ente simpliciter. Si est. Ex nichilo nichil fit et potest huic ex quolibet fit aliquid quod est falsum quia ex deo nichil fit. Si dicas quod ly nichil in subiecto tenet. In finitum tunc est una negatiua cuius subiectum non supponit ergo est vera secundum fidei.

¶ Quinto vel res creatur quando est vel quando non est. Non primum quia tunc creata est quod autem fit non est in permanentibus. Si secundum queritur tunc in quo est ipsum creati. Si in aliquo subiecto ergo aliquod subiectum precedit re creatam. Item non contingit infinitam distantiam transire sed ens et nichil in infinitum distant igitur. Item ex nichilo aliquid facere est infinite difficultatis ergo est tante difficultatis sicut deus est actiuitatis ergo non potest a deo fieri. Item non quodlibet est a deo annihilabile ergo nec creabile antecedens patet quia deus non potest annihilare noticiam per quam reuelauit alicui se nichil annihilaturum. Si enim annihilaret illam noticiam ergo ipsa fuit falsa et sic deus decepit eum cui hoc reuelauit. Item nichil est factibile nisi habeat rationem entis et sit bonum sed annihilatio non habet rationem entis est enim privatio ipsius esse ergo non est a deo factibile.

¶ Sexto charitas annihilatur per peccatum effectiue ergo creatura annihilat antecedens est. S. L. 22. q. 24. ar. 10. Item gratia producit alias virtutes morales infusas que creantur. vide capreolum in secundo dist. 26. et anima producit effectiue potentiasque ibi concreantur. S. L. in 3. d. 23. q. 2. ar. 5. Et esse existentie creatur ad eum et tamen est a forma in genere cause formalis ergo alle cause se possunt concurrere ad effectum creationis.

¶ Septimo probatur quod agens naturale potest producere accidens nullo subiecto presupposito quia si aer corrumpitur adhuc una domus dilaretur ab alia ergo tunc distantia que est relatio esset sine subiecto. Item homo in vacuo posset formare voces que essent sine subiecto posset enim loqui. Item philosophus quarto phisicorum ponit sonum et colorem sine subiecto et querit utrum esset in vacuo sed talis sonus posset a creatura corrumpi igitur accidens est annihilabile sine subiecto. Item frigiditas separata posita in igne corrumpitur ergo annihilatur. Item videntur probari posse ponendo quod in primo instanti non esse accidentis deus annihilat subiectum vel si in sacro altaris corruptis speciebus nichil succedat species enim non sunt infinite resistentie ergo possunt naturaliter corrumpi ergo agens naturale annihilat quia in tali corruptione nulla potentia nec substantia remanet. Item. Theologi dicunt sacramenta esse causa gratie sed gratia creatur. Igitur maior pars ex diffinitione sacramenti ipsius magistri et alias vanum esset materiam confirmationis per episcopum consecrari nisi ibi acquireretur aliqua virtus productiua gratie forte dicitur illa gratiam que est character non creati sed non videtur maior ratio de caractere quam de gratia gratum faciente forte concedis sacramenta esse effectiua unde quibus dicitur quod per virtute verborum consecrationis fit corpus

pus christi ibi. Sed contra ponatur ergo quod corpus christi sit a deo annihilatum tunc secundum istos per verba consecrationis fiet ibi corpus christi cuius nichil prius erat per casum ergo virtute verborum in illo casu creatur.

¶ Octavo non possumus probare in naturalibus quod iste effectus causetur a tali causa nisi quia videmus quod ea posita ponitur talis effectus et ea remota non ponitur licet deus quemlibet et effectum potest producere se solo sed ita videmus de anima rationali sicut de alijs animabus quod facta dispositione in materia est ibi anima rationalis ergo causatur per agens naturale et ita arguatur de gratia. Item tempus creatur. S. L. 1. parte. 46. ar. 3. et tamen fit ab angelo probatur quia consequitur motum celi qui est ab angelo. Item si minimum naturale poneretur in vacuo non semper duraret ergo naturaliter annihilaretur quia nichil est ibi in quod resoluatur.

¶ Nono quando voluntas producit actum volens ille non educitur de potentia materie cum non sit in materia ergo creatur. Forte dicitur quod fit aliquo presupposito scilicet anima. Contra prius est actum esse ipsum esse in subiecto sed in illo priori est ab anima ergo aliquando actus est ab anima et tamen tunc non est in aliquo subiecto. Item ex eodem arguitur quod aliquid fit a creatura non presupposita alterius agentis actio quia prius est voluntatem producere actum odij in particulari quam deum alias si presupponeret actionem dei tunc in malis culpe deus hominem puniret quod est falsum quia solum puniret in benedictionibus.

¶ Decimo arguitur secundum sanctum thomam si forma proprie fieret ipsa crearetur quia non fit ex alio quo per se sed probo quod proprie fit quia prius est forma esse quam totum compositum antecedens patet quia causa precedit effectum ergo in illo priori forma est producta et non ad productionem compositi ergo fit per se. Item alterationis terminus fit per se per motum alterationis et tamen est forma ut puta calor. Forte dicitur quod terminus istius transmutationis est subiectum cum forma. Contra tunc terminus unius alterationis non esset unum per se. Item ad tria predicamenta est per se motus ergo accidens est per se terminus motus. Item stat quod forma fiat de nouo et tamen subiectum non fit de nouo tale ergo subiectum esse tale non est terminus motus antecedens patet si corrupto lumine per recessum unius candele immediate adueniat alia tunc fit ibi nouum lumen tamen aer non fit tunc primo lucidus. Item potest argui quod aliquid creatur est a creatura quia iste partes demonstrando materiam et formam hominis sunt create et iste partes sunt ab homine igitur minor patet quia homo est ab homine et homo nihil est preter suas partes forte.

¶ Undecimo forma artificialis creatur et fit a creatura igitur antecedens patet quia non educitur de potentia materie cum sit totaliter ab extrinseco nec est ab agente naturali. Item difficilius est aliquid facere ex contrario quam ex contradictorio sed agens naturale potest facere aliquid de contrario ergo et de contradictorio maior pars ex. 12. q. 113. ar. 9. Item faciendo aliquid ex nichilo nulla est resistentia ergo potest fieri a creatura. Item intelligentia non est imperfectior alijs animalibus sed alia animalia producit animal ergo intelligentia potest producere intelligentiam. Item vbi quilibet effectus non adequatur sue cause illud potest a minori causa produci sed in nulla creatione effectus equas